

quàm horam sic inuentam confer cum hor. initij aut finis crepusculi, & habebit intentum.

A R C U M D I V R N V M S O L I S A V T S T E L -
 læ cuiusuis in aranea signatæ, elicere. Prop. X V I.

Per arcum diurnum stellæ, tempus intelligitur, quo fertur supra horizontem, qui arcus numeratur in limbo ab oriente in occasum. Solem igitur seu stellam propositam, cuius arcum inquiris, versus orientem in horizonte obliquo constitue, & lineam fiduciae illi superpone, notando gradum, quem in limbo contingit; à quo gradu si numeres usque ad lineam mediæ noctis, ille arcus erit seminocturnus, qui si dupletur, erit arcus nocturnus quo subducto à toto limbo, hoc est 360. gradibus, super erit arcus diurnus, cuius dimidium erit arcus semidiurnus. Sic, si solis gradu, aut stella constituta in horizonte versus ortum, lineaque fiduciae ipsi superposita, numeraueris gradus versus lineam mediæ diei, illud spatium erit arcus semidiurnus, qui si dupletur, erit arcus diurnus, & subductus à 360. gradibus relinquet arcum nocturnum.

G R A D V M Z O D I A C I, C V M Q V O S T E L -
 la aliqua oritur aut occidit, exquirere.

Propos. X V I I.

Stella proposita in primo parallelo seu horizonte obliquo statuatur, ex parte orientis, & gradus Zodiaci tunc simul attingens horizontem est ille, cum quo stella oritur. Idem obseruatur in occasu & mediatione cœli. Vt exempli gratia, si cor leonis statuatur in horizonte obliquo, gradus 24. leonis erit, cum quo orietur.

A S C E N S I O N E S S I G N O R V M A V T C V I V S V I S
 arcus signiferi in sphaera recta patefacere.

Propos. X V I I I.

E

Ascensio